

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De victore Idumaeorum Es. 63, 1 - 6

**Abicht, Johann Georg
Pfaffreuter, Christoph Heinrich**

Leipzig, 1712

VD18 14793431-ddd

§. XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130619](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130619)

que metum iisdem incuterent, ideo Deus Judæis promisit, se eosdem destructurum, ne ex captivitate ad futuram felicitatem aspirantes, eorum insidias amplius metuerent,

§. XIX.

Hunc esse nostri Vaticinii sensum literalem suadent reliqua Prophetarum de Edomitibus edicta vaticinia. Ipse Iesus noster cap. xxxiv, 5. 6. gravissimis & hyperbolicis verbis de Idumæis vaticinatur, Deum eosdem esse destructurum; *Sacrificium*, inquit, *Domino est in Bozra & mactatio magna in terra Edom*. Jeremias cap. xxv, 21. præter reliquas gentes, etiam Idumæis calicem iræ propinavit; pari modo cap. xxvi, 11. vincula & vestes non solum Moabitibus, Ammonitis, Tyriis & Sidoniis, sed & Edomitibus per nuntios mittit dicens: *Deum omnes has terras dedisse in manum Nebucadnezaris Regis Babylonii*. Idem vaticinium repetitur cap. xliv, 7. super Edom, *annon est ultra sapientia in Theman? peritne consilium a filiis, corrupta est sapientia eorum? Fugerunt, respicientes facti sunt, profunda qua siverunt, ut habitarent inhabitatores Dedan, quia calamitatem Esau adduxi super eum, tempore quo visitavi eos*. Similia vaticinia de Edom legas Thren. iv, 21. Ezech. xxv, 12. XXXV, 5. 15. xxxii, 29. Amos. i, 11. Obad. v. 1. Joel. iii, 19. Mal. i, 4.

§. XX.

Si phrasas ipsas examinaveris, in quibus tanquam in speculo Prophetæ mentem intueris, eas aperte de Idumæorum cæde loqui cognosces. Huc spectat comparatio Ecclesiæ protectoris cum Heroe, qui victoriam ab hostibus reportans, gravi passu, & vestimentis cætorum sanguine maculatis incedit. Prælium ipsum, quo hostes suos subegit, eleganter scripturæ stylo, uti supra ostensum, cum torcularis calcatione componitur. Ulti enim torcularius uvas pedibus calcat, ut mustum exprimatur, & in metretam effundatur, sic heros & Victor hostes suos quasi calcat, ut sanguis eorum in terram defluat vestesque heroum com-

ma.